



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 483. Usque Ad Annum 561.

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1759**

**VD18 90117824**

§. 56. Alia S. Fulgentii Opera.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66066](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66066)

Sæculum VI. clesiam S. Saturnini Martyris procul a Ci-  
A. G. 521. vitatis tumultu remotum suis expensis  
 condidit, obtenta prius, ut oportebat, a  
 Brumasio Episcopo Calaritano licentia.  
 Ibi plus quadraginta Monachis congrega-  
 tis, illos ad paupertatem præprimis insti-  
 tuebat, ut nihil proprium sibi haberent;  
 in ea enim virtute Monasticæ vitæ cul-  
 men constituebat. Dicebat: *contingere  
 potest, ut fragilitas corporis Monachum  
 cogat ad usum cibi lautioris, si vero vel  
 minimæ rei Dominium sibi usurpet, Su-  
 perbia aut avaritiæ indicium est.* Maxi-  
 ma cura ad infirmitates Fratrum atten-  
 debat, ut cuilibet, quibus indigebat, tri-  
 bueret, & etiam præveniret; nam non  
 probabatur ei, si ipsi peterent, sed vole-  
 bat, ut æquissimo animo auxilium Præpo-  
 sitorum expectarent. Minus diligebat  
 illos, qui solo manuum labore occupa-  
 bantur, quam in quibus magnum Lectio-  
 nis, & Scientiæ Spiritualis amorem de-  
 prehendebat, etiamsi ob virium tenuita-  
 tem ab omni labore abstinere cogeren-  
 tur.

## §. LVI.

*Alia S. Fulgentii opera.*

Sub idem tempus S. Fulgentius ad Car-  
 thaginenses dedit Epistolam Exhorta-  
 toriam. In ea technas & fraudes dete-  
 gebat, quibus Ariani ad eos perverten-  
 dos

dos uterentur. Hæc epistola nobis non Sæculum VI.  
A. C. 521  
superest, bene vero duo Libri de Remissionem peccatorum, quos eodem tempore scripsit, ut quæstionibus viri pii, cui nomen Euthymius, responderet; scilicet an non Deus per suam Omnipotentiam quandoque peccata mortuis post hanc vitam remittat. S. Fulgentius respondet; Deum Remissionem peccatorum illis solum concedere, qui vere conversi sunt, in Ecclesia Catholica existunt, & durante hujus vitæ cursu. Verum opus istud legentibus perspectum fit, S. Fulgentium solummodo differere de peccatis, quæ mortis æternæ causa sunt, non vero de pœnis, quæ a justis exigendæ superesse possunt; hinc Ecclesia semper pro Defunctis oravit. Ad idem tempus S. Fulgentii Libri tres ad Monimum amicum suum, qui datis sæpius litteris ejus consilium expetierat, referuntur.

In Libro primo agit de Prædestinatione, & demonstrat; Homines a Deo non prædestinari ad peccatum, sed tantum ad pœnam; nam Deum nihil prædestinare, nisi quod vult facere, at ipsum malum non facere, & Pœnam malum  
non

(\*) Hæc est Doctrina Catholica, quam Interpres sine fundamento negat. Addidit hic: perspectum fit ex *S. Scriptura*. Cur fecerit, nescio.

Sæculum VI. non esse, sed Justitiæ ejus effectum. Er-  
A.C. 521. go Peccatum in sola Dei Præscientia, non  
 autem in ejus Prædestinatione compre-  
 c. 17. 18. &c. hendi. In Libro secundo probat, Sacri-  
 ficium offerri Toti Trinitati, & non soli  
 Patri, quod dicebant Ariani. Deinde a-  
 git de Missione Spiritus Sancti, quam Ec-  
 clesia in Sancto Sacrificio petebat. Scien-  
 dum quippe est, tunc temporis Eccle-  
 siam Latinam inseruisse aliquam oratio-  
 nem, quam Græci retinuerunt. Pete-  
 batur a Deo, ut S. Spiritus supra hæc  
 Dona descenderet, id est, supra Panem &  
 Vinum & ea in Corpus & Sanguinem  
 Liturg. S. JESU Christi mutaret. Græci hodie hanc  
 Chryf. S. Orationem non prius recitant, quam  
 Bas. postquam JESU Christi Verba recitarunt:  
*Hoc est Corpus meum &c.* Latini eam  
 modo ante modo post hæc Verba recita-  
 bant, ut ex antiquo Missali Gothico di-  
 spicitur, ubi hæc Oratio in quibusdam  
 Missis statim post Præfationem posita  
 occurrit, & in quibusdam aliis statim  
 post Consecrationem; in plerisque au-  
 tem omnino non reperitur. Loco illius  
 hodie habemus Orationem, quam statim  
 post Oblationem recitamus: *Veni san-  
 ctificator æternæ Deus! &c.*

*Fulg." ad  
 Mon. II.  
 c. 6. 7. &c.*

Ex hac igitur Oratione Ariani obje-  
 ctionem contra Divinitatem Spiritus S.  
 eruebant, & argutabantur; ipsum Patre,  
 & Filio esse minorem, cum ab illis mit-  
 tere.

teretur. S. Fulgentius respondet; hanc Missionem non esse localem sed spiritua-  
 lem, Totam Trinitatem ad Sanctificationem Evcharistiæ cooperari, (\*) & peculiarem S. Spiritus invocationem solummodo indicare Sacramenti effectum, nempe Animarum nostrarum Sanctificationem per Charitatem. Deinde quartam Quæstionem tractat a Monimo propositam de Operibus supererogatoriis, atque de Distinctione Præceptorum, & Consiliorum, ubi ostendit, in eundem S. Scripturæ locum diversos sensus & omnes approbatos cadere posse. In Libro tertio motu proprio refellit Ariano- rum objectionem, quæ sibi in memoriam redierat, circa illud Evangelii: *Verbum erat apud Deum.* Et probat, hoc Textu significari: *Verbum erat in Deo.* Atque voces: *In, & Apud,* non nunquam nullo discrimine poni.

Sæculum VI.  
 A. C. 521.

S. Fulgentius

c. 13. 14. 15.

vita c. 28.

Eodem secundi sui Exilii tempore S. Fulgentius multas litteras, quibus Proximis ad Pietatem hortabatur, scripsit, quales

(\*) Nisi in Evcharistia Jesu Christi Corpus per Dei Omnipotentiam juxta sensum Ecclesiæ Catholicæ poneretur, quid in hoc Mysterio esset, totius Sanctissimæ Trinitatis cooperatione dignum? Quid ad hoc S. Fulgentii Testimonium Protestans noster? Silet.



Sæculum VI. A. C. 521. quales fuere Epistolæ ad quosdam in Sar-

dinia degentes, aut in Africa, Romam ad Senatores, ad Viduas, ad Virgines optimæ famæ, ad Probam, ad Gallam, & Theodorum. Proba Puella Romana nobilissimo loco nata Virginitatem servabat. S. Fulgentius duas amplissimas Epistolas, seu potius Tractatus eidem inscripsit, ut Virginem in proposito confirmaret. In primo Tractatu agit de Virginitate, & Humilitate, in secundo de Oratione. Galla Soror erat Probæ, Symmachi Consulis Filia, Vidua Consulis alterius, quocum non integro anno in matrimonio vixerat, & reliquo vitæ tempore Continentiam servare statuerat: eam S. Fulgentius Christianæ Viduæ officia edocuit. S. Gregorius postea Gallæ virtutes, & beatum obitum litteris mandavit. Theodorus Senator erat, qui anno 505. Consulatum gessit; exinde totum se Deo dedit, & consentiente uxore continentiam amplexus est. S. Fulgentius gratulatur ei felicissimam mutationem, dicitque Magnatum Exempla esse efficacissima, cum secum plurimos salvare, vel in exitium trahere soleant.

*Ep. 2.*  
*Greg. IV.*  
*Dialog. c. 13.*

*Epist. 6.*

*Sup. n. 54.*

Sub idem tempus, ut dixi, Episcopi in Sardinia Exules Epistolam Monachorum ex Scythia de Incarnatione & Gratia

tia acceperunt. Huic S. Fulgentius nomine omnium respondit edito Tractatu ejusdem tituli, ubi quindecim Episcoporum Nomina conspiciuntur. In eo Tractatu S. Fulgentius Monachorum Scytharum Fidem approbat, verumtamen dicit, unam Personam de Trinitate id est Jesum Christum natum esse ex Virgine. Quod dici debere Monachi non concedebant, nam affirmabant, simpliciter dicendum esse: *Unus ex Trinitate, non autem, una Persona.* Secunda Tractatus Parte de Gratia agit contra Semipelagianos id est contra Faustum Rejemsem, quem Monachi acriter impugnabant. Conjecturae locus est, Monachos hosce duos ipsius Constantinopoli ad S. Fulgentium transmisisse. Respondit editis septem libris, qui ad nos non pervenerunt, in quibus magis adnitebatur Doctrinam Catholicam explicare, quam Faustum convincere.

Sæculum VI.  
A.C. 523.

Ep. 17.

c. 10. c. 18.

c. 12. c. 13. &c

c. 28.

§. LVII.

*Episcopi Africae ab Exilio revocantur.*

Sanctus Fulgentius absoluto hoc labore etiam Exilii sui finem vidit, quippe Rex Trasamundus 28. Maji, anno 523. Maximo Consule, e vivis abiit, postquam annis 27. regnasset. Successorem ha-

Bb 2

buit